

deinde ipsum a partibus ad cordis machinam revehunt. Deinde motus globulorum in sanguine ideo est notabilis, quia figura globosa atque rotunda ad motum maxime est accommodata. Sanguis vero instar perpetui mobilis sese habet, atque in homine aliisque animantibus, a primo vitae momento usque ad ultimum vitae terminum, absque ulla saepius intermissione, et per bene multos annos potest perdurare. Tandem quando sanguinis undas, vibrationesque resilientes observamus, exinde commode possumus exponere, quo pacto sanguis in motu progressivo per lineam rectam in canalibus iter faciens, etiam in tubulos laterales possit impelli, uti opus est in secretionibus et elaborationibus reliquorum humorum, qui a sanguine per arteriarum laterales canaliculos et extremitates segregantur, et in peculiaria vasa deponuntur. Exhibemus etiam beneficio nostrorum Microscopiorum, motum et circulum liquorum in plantis, v. g. in ficibus ad hoc negotium aptissimis.

EXPERIMENTVM V.

Si aliquis vel brachiū, vel pedem ligatura tractat, tunc semper infra ligaturam a trunco corporis venae intumescunt.

EXPOSITIO.

Solent hoc modo Chirurghi in Venae sectione venas exiliores et profundius haerentes manifestare, ut in conspectum prodeant, et incisio earum eo commodius et promptius fieri queat. Patet vero exinde luce meridiana clarius, venas sanguinem ad cor in trunco corporis haerente revehere, quia sanguis in motu suo retrogrado facta ligatura in venis impeditur, et a tergo sequens eundem impellit et ad motum excitat, unde restitat, et quia major
ejus